Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

et quidem satis iuste, quippe qui
multis et nouis cruciatibus alio-
rum torserat uiscera, licet ille nullomo-
do a sua malicia cessaret. Super hoc
autem superbia repletus, ignem spirans
animo in iudeos, et precipiens acce-
lerare negocium, contigit illum impetu
euntem de curru cadere, et graui cor-
poris collisione membra uexare.
Isque qui sibi uidebatur etiam fluctibus ma-
ris imperare, supra humanum modum
superbia repletus, et moncium altitu-
dines in statera appendere, nunc hu-
miliatus ad terram in gestatorio por-
tabatur, manifestam dei uirtutem
in semetipso contestans, ita ut de cor-
pore impii uermes scaturirent, ac
uiuentis in doloribus carnes eius efflu-
erent, odore etiam illius et fetore exercitus
grauaretur. Et qui paulo ante si-
dera celi contingere arbitrabatur,
eum nemo poterat propter intolleranciam
fetoris portare. xxvii.

Hinc igitur cepit ex graui superbia
deductus ad agnicionem sui ueni-
re, diuinitus plaga admonitus, per
momenta singula doloribus suis augmen-
ta capientibus. Et cum nec ipse iam feto-
rem suum ferre posset, ita ait: Iustum
est subditum esse deo, et mortalem non
paria deo sentire. Orabat autem hic
scelestus dominum, a quo non esset misericordiam
consecuturus. Et ciuitatem ad quam
festinans ueniebat, ut eam ad so-
lum deduceret, ac sepulchrum conge-
storum faceret, nunc optat liberam red-
dere, et iudeos quos nec sepultura
quidem dignos habiturum, sed auibus et
feris diripiendos traditurum, et cum
paruulis exterminaturum dixerat, equa-
les nunc atheniensibus facturum pollice-
tur, templum etiam sanctum quod prius expo-
liauerat, optimis donis ornaturum,
et sancta uasa multiplicaturum, et
pertinentes ad sacrificia sumptus de
redditibus suis prestaturum, super hec et
iudeum futurum, et omnem locum terre
perambulaturum, et predicaturum dei
potestatem. Sed non cessantibus dolo-
ribus, superuenerat enim in eum iustum iu-
dicium dei, desperans scripsit ad
iudeos in modum deprecationis epistolam
hec continentem. Optimis ciuibus iu-
deis plurimam salutem et bene ualere
et esse felices, rex et princeps antyochus.
Si bene ualetis et filii uestri, et ex sen-
tencia uobis cuncta sunt, maximas
agimus gratias. Et ego in infirmitate
constitutus, uestri autem benigne memor,
reuersus de persidis locis, et infir-
mitate graui apprehensus, necessa-
rium duxi pro communi utilitate uestra
curam habere, non desperans memetipsum,
sed spem multam habens effugiendi infir-
mitatem. Respiciens autem quod et
pater meus quibus temporibus in locis
superioribus ducebat exercitum, osten-
dit qui post se susciperet principatum,
ut si quid contrarium accideret aut
difficile nunciaretur, scientes autem
hii qui in regionibus erant, cui esset re-
rum summa relicta, non turbarentur.
Ad hec considerans de proximo poten-
tes quosque et uicinos temporibus insi-
diantes, et euentum expectantes, de-
signaui filium meum antyochum regem,
quem sepe recurrens in superiora regna
multis uestrum commendabam, et scrip-
si ad eum que subiecta sunt. Oro
itaque uos et peto, memores beneficio-
rum publice et priuatim, ut unusquis-
que conseruet fidem ad me et ad filium
meum. Confido enim eum moderate et hu-
mane acturum, et sequentem propositum
meum communem fore uobis. xxviii.

Igitur homicida et blasphemus pessi-
me percussus, et ut ipse alios tracta-
uerat, peregre in montibus miserabili
obitu uita functus est. Transferre-
bat autem corpus phylyppus collac-
taneus eius, qui metuens filium an-
tyochi ad ptholomeum phylometorem
in egyptum abiit. xxviiii.

Machabeus autem et qui cum illo erant.